

PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. X - N. 2

1978

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1978

<i>Salutatio</i>	130
EX ACTIS PAULI PP. VI	
<i>Litterae Apostolicae motu proprio datae</i>	
<i>De Sacri Pallii concessione moderanda in Ecclesia Latina</i>	131
EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. I	
<i>Allocutio ad Em.mos S. R. E. Cardinales</i>	133
EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II	
<i>Allocutio ad Em.mos S. R. E. Cardinales</i>	142
<i>Allocutio de momento linguae Latinae</i>	150
EX ACTIS SANCTAE SEDIS	
<i>Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal</i>	
<i>Declaratio et definitiva sententia Miamien. Incardinationis</i>	152
<i>Pont. Commissio Decretis Conc. Vat. II interpretandis</i>	
<i>De procedura sequenda in remotione parochorum</i>	159
ACTA COMMISSIONIS	
<i>Opera Consultorum in recognoscendis schematibus</i>	
I. Coetus studiorum de Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum	160
II. Coetus studiorum de Sacramentis - De Ordine	179
III. Coetus studiorum de Processibus	209
DOCUMENTA	
<i>Una questione elegante: favorevole o odiosa la norma penale? (P. Card. Felici)</i>	273
NOTITIAE	281
INDICES	283
I. Index locorum e Sacra Scriptura citatorum	285
II. Index locorum in quibus memoria Concilii Vaticanii II servatur	285
III. Index locorum ex Concilii Vaticanii II textibus citatorum	286
IV. Index canonum CIC citatorum	287
V. Index nominum personarum	290
VI. Index rerum generalis	293

III COETUS STUDIORUM DE PROCESSIBUS

Postquam « Schema canonum de modo procedendi pro tutela iurium seu de processibus » Conferentiis Episcopalibus, Sacrae Romanae Curiae Dicasteriis et Universitatibus Studiorum Ecclesiasticis pro consultatione missum fuerat, 109 Vota ab his Organis Pontificiae Commissioni Codici Iuris Canonici recognoscendo scripto pervenerunt, quibus animadversiones et suggestiones de novo iure processuali factae sunt.

Ad examinandas et perpendendas tales animadversiones, parvus aliquis Coetus constitutus est in quo partem habuerunt: Exc.mus Castillo Lara, Secretarius Commissionis, Exc.mus Aurelius Sabattani, Relator, et Consultores Pinto, Damizia, Dordett, Maida, O'Connell, Ciprotti. Huic Coetui aggregatus est etiam P. Ignatius Gordon, quamvis non adnumeretur inter Consultores nostrae Commissionis.

Coetum moderatus est Exc.mus Secretarius Castillo Lara, Actuario D. Francisco Voto, Officiali Commissionis.

Singulis Consultoribus distributus est fasciculus, quo synthesis omnium animadversionum ac suggestionum ab Organis consultationis factarum praebetur.

SESSIO I (diebus 3-8 aprilis 1978 habita)

Fere omnibus adunationibus huius sessionis praefuit Cardinalis Praeses.

Adunatio diei 3 aprilis 1978

Ante omnia examinatae sunt animadversiones ordinis generalis, quae ita enucleari possunt:

I. SENTENTIAE AFFIRMATIVAE DE SCHEME IN GENERE

Quidam dixerunt schema omnino placere quoad omnes suas partes.

Maior pars Organorum Consultationis vero laudes de schemate in genere fecerunt etsi animadversiones circa hunc vel illum canonem non omiserint; merito ergo dici potest omnibus schema placuisse iuxta modum.

Peculiares aliquas notas de schemate plures in lucem miserunt ad

suas sententias affirmativas corroborandas. Quae notae ita breviter recenseri possunt:

- claritas, brevitas, simplicitas;
- novum ius processuale plures leges praebet quae revera ius processuale CIC renovant, et notabile progressum in iure constituunt;
- processus celerior fit;
- materia optime inter varias partes distributa est;
- novum ius respondet « Principia quae recognitionem CIC dirigant » a Synodo Episcoporum approbata, necnon spiritui Concilii Vaticani II;
- laici admittuntur ad varia munera iudicaria;
- ratio habetur de iure particulari;
- opportune remissio interdum fit ad ius civile pro aliquibus institutis;
- aequa compositio fit inter bonum privatum et bonum publicum;
- providum temperamentum assequitur inter exigentias decentralizationis et unitatis organisationis iustitiae, itemque inter exigentias celeriores processus celebrandi et commoda praebendi pro assecutione iustitiae ac veritatis;
- normae spiritu aequitatis et iustitiae imbutae sunt et specialis cura habetur pro tutela iurium personarum;
- plures lacunae explentur quae in CIC habebantur;
- consummata technica iuridica in canonibus adhibita est;
- plures suppressae sunt formalitates superfluae.

Nonnulli laudaverunt propositum quod ex schemate appareat non includendi in novo Codice partem « De causis beatificationis servorum Dei et canonizationis Beatorum », attenta peculiari indole illarum causarum.

Quidam aperte fatentur novum schema apta instrumenta praebere pro administratione iustitiae in Ecclesia.

II. SENTENTIAE NEGATIVAE DE SCHEMATE IN GENERE

Sententiae negativae prolatae sunt a 15 organis consultationis varia ob motiva quae ita enucleari possunt:

- Quidam, etsi dicant schema per se esse validum instrumentum, tamen censem in suis regionibus difficuler in praxim illud deduci posse ob nimiam penuriam mediorum et praesertim personarum quae ius canonicum calleant. Quinimmo addunt indolem nostri schematis repugnare culturae et ingenio illorum populorum.

— Nonnulli conquesti sunt eo quod schema nimio iuridismo adhuc sapit et plures adhuc retinet formalitates ac sollemnitates quae telam iudicariam nimis machinosam reddunt.

— Nonnullis minus placuit quod variae species processus, quae in schemate exstant, non evolvantur singulae ut genus in se completum, quin fiat remissio ad normas quae prostant in parte generali vel in parte de iudicio contentioso in genere.

— Unus Episcopus censuit hodierna adjuncta Ecclesiae populorum et culturarum talia esse ut iam concipi nequeat Codex aliquis legum qui sit unicus pro tota Ecclesia, quasi adhuc vigeat regimen « christianitatis », ut aiunt, vel Ecclesia ab omnibus habeatur tamquam societas independens in suo ordine perfecta.

— Aliquibus videtur schema confectum esse ad usum tribunalium magnarum dioecesum, quibus non desunt homines et media ad machinam iudicariam extruendam, ubi etiam laici colunt studium iuris canonici. Alibi autem indeoles iuridica schematis erit omnino extranea mentalitati fidelium.

— Fere ubique ius processuale canonicum unice pro causis matrimonialibus adhibetur, dum in dies crescit persuasio viam iudicariam esse minus aptam ad decidendum de facto tam peculiari quod est matrimonium, in quo partes non sunt considerandae tamquam « adversariae », in lite contentiosa sibi invicem oppositae.

III. VOTA AD SCHEMA PERFICIENDUM

— Nonnulli petunt ut normae simpliciores reddantur, et plures canones omittantur utpote superflui. Normae, quae non sint essentiales ad structuram processus, possent in aliquo directorio colligi, vel possent omitti simpliciter, facultate facta Conferentiis Episcoporum edendi peculiares ordinationes pro suis tribunalibus.

— Est qui censeat extollendam esse proceduram oralem prae proceduram scriptam, atque ampliorem usum procedurae per transactiōnem et per arbitros introducendum esse.

— Ad processus celeriores reddendos, aliqui proponunt ut in 1^a instantia processus contentiosus ordinarius semper et pro omnibus causis adhibeatur, utque processus contentiosus summarius item pro omnibus causis in 2^a instantia adhibeatur.

— Nonnullis placet auctoritatem discretionalem iudicis in quibusdam articulis processus augere, ita ut actiones dilatoriae refrenari et formalitates quaedam certis sub conditionibus supprimi possint et ita

ad sententiam cito pervenire, salvis semper iustitia et contradictorio partium in cursu processus.

— Pauci petunt ut etiam mulieres ad officium iudicis admittantur et, a fortiori, ad officium Promotoris Iustitiae, defensoris vinculi et notarii.

IV. ANIMADVERSIONES CIRCA TERMINOLOGIAM

Quoad terminologiam plures petunt ut maior uniformitas assequatur in toto schemate. Peculiarem quaestionem aliqui ponunt de usu verborum « Episcopus », « Episcopus dioecesanus », « Ordinarius loci »; « Sancta Sedes », « Sedes Apostolica », « Prima Sedes »; « iudex », « tribunal »; « actio », « impugnatio », « accusatio », « petitio »; « instantia », « gradus iudicii ».

Suggestum est praeterea ut dicatur « pars conventa » loco verbi « reus » et ut omittantur verba « sancta » vel « sacra » quae apponuntur organis Sedis Apostolicae, ex. gr. *Sacra Dicasteria*, *Sacra Rota*, etc.

V. ANIMADVERSIONES CIRCA LACUNAS QUAE IN SCHEMATE HABENTUR

Nonnulli (paucissimi tamen) conquesti sunt eo quod in schemate non praevidentur normae pro tale vel tale causa.

Conspectus hic praebetur aliarum causarum pro quibus normae processus desiderantur, addito inter parentheses numero organorum consultationis quae illas petierunt:

- De causis beatificationis Servorum Dei et canonizationis Beatorum (3);
- Causae de morte praesumpta unius coniugis (4);
- Causae de sacra Ordinatione, de reductione ad statum laicalem et de dispensatione ab oneribus sacerdotalibus (4);
- Causae pro examine doctrinae erroneae (1);
- Normae de transactione (1);
- Normae pro processu exsecutionis sententiarum vel aliorum iuridicorum negotiorum quae exsecutionem iudicariam implicant (2).

VI. DE ORDINATIONE SYSTEMATICA NOVI SCHEMATIS

— Nonnulli petierunt ut ordinatio systematica respondeat criterio practico, non scientifico: cum fere omnes causae in Ecclesia matrimoniales sint, melius est si processus matrimonialis describatur in tota

sua evolutione, quin fiat remissio ad canones de processu contentioso ordinario et talis processus principaliorem locum teneat in libro de processibus.

— Septem vero Organa consultationis novam dispositionem materiae proposuerunt. Unumquodque organum tamen propositionem diversam fecit, uti patet ex prospectibus qui sequuntur:

A

1^a: *De Tribunalium constitutione et disciplina*

2^a: *De iudicio contentioso in genere*

Sectio I: De iudicio contentioso ordinario

Sectio II: De iudicio contentioso summario

3^a: *De causis matrimonialibus*

Sectio I: De causis ad matrimonii nullitatem declarandam

Sectio II: De causis ad matrimonii nullitatem obtinendam

Sectio III: De causis separationis coniugum

4^a: *De causis quoad sacram ordinationem*

5^a: *De iudicio criminali*

6^a: *De processibus administrativis*

Sectio I: De procedura administrativa in genere

Sectio II: De procedura in parochis amovendis vel transferendis

Sectio III: De procedura in doctrinarum examine

B

Pars I: *De Iudiciis in genere*

Pars II: *De Iudicio contentioso*

Sectio I: De modo evitandi iudicium contentiosum seu de compromisso in arbitros

Sectio II: De iudicio contentioso in genere

Sectio III: De iudicio contentioso summario

Pars III: *De Proceduris Administrativis*

Sectio I: De proceduris administrativis in genere

Sectio II: De proceduris in parochis transferendis vel amovendis

Pars IV: *De causis matrimonialibus*

Pars V: *De iudicio criminali*

C

Pars Prima: *De Processibus iudicialibus*

Sectio I: Principia fundamentalia (cc. 1-136)

Sectio II: De iudicio contentioso

 Tit. 1: De iudicio ordinario (cc. 137-317)

 Tit. 2: De iudicio summario (cc. 318-334)

 Tit. 3: De compromisso in arbitros (cc. 377-379)

Sectio III: De iudicio criminali (cc. 380-396)

Sectio IV: De causis matrimonialibus

 Tit. 1: De causis nullitatis (cc. 335-350)

 Tit. 2: De causis specialibus (cc. 351-355)

 Tit. 3: De causis separationis (cc. 356-361)

Pars altera: *De processibus administrativis*

Sectio I: Principia fundamentalia (cc. 397-435)

Sectio II: De processu super matrimonio rato et non consummato (cc. 362-372)

Sectio III: De processu in favorem fidei

Sectio IV: De procedura ad parochos amovendos vel transferendos

D

Pars I: *De iudiciis in genere*

Pars II: *De iudicio contentioso*

Pars III: *De causis matrimonialibus*

Pars IV: *De iudicio criminali*

Pars V: *De proceduris administrativis*

E

Canones prooemiales - Competentia tribunalium ecclesiasticorum (can. 1553 quoad substantiam) - Cann. 2 et 3 praesentis Schematis.

Pars I: *De processibus [iudiciis] in genere*

Sectio I: De praesuppositis processus (cann. 4-136)

Sectio II: De processu cognitionis (cann. 137-309)

Sectio III: De processu exsecutionis (cann. 310-317)

Pars II: *De processibus [iudiciis] in specie*

- Sectio I: De processu contentioso (cann. 107-134, + 105 et 106,
addito canone remissivo simili can. 355)
Sectio II: De processu criminali (cann. 380-396)
Sectio III: De processu matrimoniali (cann. 335-376)
Sectio IV: De processu sacrae ordinationis
Sectio V: De processu arbitrali (cann. 377-379)

Pars III: *De processibus administrativis*

- Sectio I (cann. 397-435)
Sectio II (cann. 436 ss.)

F

Pars I: *De iudiciis in genere*

Pars II: *De iudicio contentioso in genere*

Pars III: *De iudicio contentioso summario*

Pars IV: *De iudiciis specialibus*

- Sectio I: De causis matrimonialibus
Sectio II: De iudicio criminali
Sectio III: De compromisso in arbitros

Pars V: *De processibus administrativis*

G

Natura pastoralis iuris canonici dicit ad materiam processualem ita ordinandam:

- 1) Media ad vitanda iudicia (transactio et compromissum in arbitros).
- 2) Media ad dirimendos conflictus via administrativa (recursus hierarchicus, recursus iudicialis ad Tribunalia administrativa).
- 3) Media ad dirimendos conflictus via iudiciaria (processus contentiosus).

Consultores aliquas considerationes faciunt circa singulas quaestiones generales nuper recensitas, attamen praevalet mens nihil decidendi modo generali, cum animadversiones illae prolatae sint a paucis omnino organis consultationis, dum e contra maioritati organorum schema in genere placuit. Ipsi Consultores vero p[re]ae oculis illas animadversiones generales habebunt, ita ut quando singula instituta vel canones examinabuntur, mutationes proponant, si quas proponendas habeant, qui-

bus ratio habeatur de illis animadversionibus. Tamquam criterium autem generale omnes convenient in toto labore recognitionis Schematis magnam curam ac studium adhibendum esse ad singula instituta ac normas simpliciores reddendas, quantum possibile sit.

Quod vero attinet dispositionem systematicam canonum et lacunas forte implendas, quaestio erit postea, quando totum schema recognitum fuerit.

Adunatio diei 4 aprilis 1978

Examinatur quaestio de inscriptione schematis quae est « De modo procedendi pro tutela iurium seu de processibus ».

Plures petierunt ut resumatur titulus CIC id est « De processibus », quia haec inscriptio brevior est et iam in usu communi habetur.

Alii tituli praeterea propositi sunt a quibusdam organis consultationis, scilicet: « De processibus, seu de modo procedendi pro tutela iurium », vel: « De tutela iurium seu de processibus », vel: « De modo procedendi in iudiciis seu de processibus ».

Etiam aliquibus Consultoribus minus placet titulus schematis quia per ipsum innui videtur vocem « processus » idem esse ac « modi procedendi pro tutela iurium », quod quidem verum est si vox *processus* accipiatur sensu latissimo, verum autem non est si accipiatur sensu stricto.

Post brevem discussionem, omnes Consultores concordant ut resumatur titulus CIC, scilicet « De Processibus ».

PARS PRIMA DE IUDICIIS IN GENERE

— Est qui censeat inscriptionem huius partis aptiorem ac magis consonam cum materia canonum fore si dicatur: « De tribunalium constitutione et disciplina ».

Haec propositio non placet Consultoribus, quia materia primae partis non agit tantum de constitutione et disciplina tribunalium.

— Nonnulli proposuerunt ut initio huius partis ponantur, ad modum prooemii, aliqui canones, quibus dicatur de fundamento theologico potestatis Ecclesiae instituendi iudicia.

Post brevem discussionem haec propositio non admittitur, quia neque in aliis partibus Codicis aliquid dicitur de fundamentis theologicis vel rationes dantur; haec enim ad doctrinam pertinent.

Can. 1 (CIC 1552)

§ 1. *Obiectum iudicii sunt:*

- 1) *personarum physicarum vel iuridicarum iura persequenda aut vindicanda, vel facta iuridica declaranda;*
- 2) *delicta, quod spectat ad poenam irrogandam vel declarandam.*

§ 2. *Contra administrativa decreta, quae in exercitio ecclesiastici regiminis feruntur non datur actio iudicialis, sed tantum recursus ad superiorem vel ad tribunal administrativum secundum canones de procedura administrativa.*

De § 1

— Est qui censeat resumendam esse definitionem iudicii quae habetur in CIC, sed Consultoribus, uno excepto, propositio non placet quia mens Commissionis est ut definitiones vitentur, nisi peculiaris ratio aliud suadeat.

— Nonnulli proposuerunt ut addatur verbum « obiectum iudicii ecclesiastici sunt ... ».

Propositio placet tribus Consultoribus, sed aliis (5) Consultoribus non placet.

— Suggestum est ut § 1 ita compleatur:

- 1) ...; et tunc iudicium est contentiosum;
- 2) ...; et tunc iudicium est criminale.

Suggestio non placet Consultoribus, qui definitiones vitare volunt.

De § 2

— Animadversiones factae circa hunc canonem originem habent ex aequivoqua interpretatione verborum « non datur actio iudicialis ».

Pro aliquibus sensus illorum verborum est declarativus quod nempe recursus ad tribunal administrativum non est *actio iudicialis*, ideo vel petunt ut talis declaratio relinquatur doctrinae, vel petunt ut penitus supprimatur procedura administrativa quae inutilis esset nisi simul recognoscatur *actio iudicialis*.

Pro aliis sensus illorum verborum est adiri non posse tribunalia ordinaria ad impugnanda decreta administrativa et ideo proponunt ut illa verba ita compleantur: « ... non datur actio iudicialis *coram tribunalibus ordinariis*, sed tantum ... ». Proponitur ab aliis ut dicatur « ... datur tantum actio exercenda coram tribunalii administrativo, praeter recursum ... ».

Consultores, attentis his animadversionibus, sibi persuasum habent formulam canonis esse recognoscendam ut dubia fugantur.

Post brevem discussionem omnibus placet formula quam unus Consultor ita proponit:

« Attamen controversiae ortae ex actu potestatis administrativae deferri possunt tantum vel ad superiorem vel ad tribunal administrativum ».

Can. 2 (CIC 1553-1554)

In causis in quibus tum Ecclesia tum civilis potestas aequa competentes sunt, quaeque dicuntur mixti fori, est locus praeventioni, ideoque causam mixti fori ad iudicem ecclesiasticum iam deductam non licet ad forum saecularem deferre.

— Nonnulli animadversiones doctrinales fecerunt circa verba « aequa competentes sunt » eo quod indeoles hodierna relationum Ecclesiam inter et statum non talis est ut pacifice admittantur iura duarum potestatum. Consultores autem traditionalem doctrinam Ecclesiae in hac re tenent ac defendunt.

— Plures censent hunc canonem difficile intelligi posse nisi resumatur can. 1553, § 1 CIC, ubi circumscribitur ambitus potestatis Ecclesiae in re iudiciali.

Circa hanc quaestionem Relator meminit Coetum « De processibus » sibi persuasum habuisse talem ambitum descriptum iri in Lege Ecclesiae Fundamentalii. Quoniam autem quae de hac re habentur in LEF non omnia elementa can. 1553, § 1 CIC reproponunt, Consultores concordant ut repriminetur can. 1553, § 1, excepto tamen n. 3, quia in novo Codice privilegium fori non amplius sustinetur.

— Aliqui Consultores proponunt ut supprimatur formula can. 2 nostri schematis, quia praeventio illa operabatur in alio contextu historico; nunc autem statui potest praeventio tantum inter tribunalia quae eidem ordinamento iuridico subsunt.

Propositio haec omnibus placet.

Can. 3 (CIC 1555)

§ 1. Tribunalia Apostolicae Sedis secundum particulares suas leges et stylum constituuntur et reguntur.

§ 2. Eae leges statuunt etiam in quibus causis inferiora quoque tribunalia speciales procedendi rationes servare debeant.

— Redactio huius canonis non recta quibusdam visa est, eo quod indirecte tantum dicitur quod praecipue dicendum est; ideo sequentem redactionem proposuerunt:

« Can. 3 § 1. Omnia Ecclesiae Tribunalia servare debent canones qui sequuntur, salvis normis Tribunalium Apostolicae Sedis propriis.

§ 2. Tribunalia inferiora (non Apostolica) ordinationes particulares ab Episcopo vel Conferentia Episcoporum pro suo territorio approbatas habere possunt quae tamen valorem actus processualis non afficiant et legibus generalibus Codicis non sint contrariae ».

Suggestio placet Consultoribus qui approbant § 1, mutatis tamen verbis « reguntur canonibus qui sequuntur » loco « servare debent canones ».

Non approbant vero § 2, quia ipsi censem melius esse si in singulis casibus et pro singulis institutis dicatur quid leges particulares edicere possint vel debeant.

— Nonnulli suggesterunt ut represtinetur can. 1555, § 1 CIC, in quo sermo est de S. Congregatione pro Doctrina Fidei ut tribunal, quod propriam legem habet.

Consultoribus videtur melius esse si de hac re dicatur in capite de Curia Romana.

Adunatio diei 5 aprilis 1978

TITULUS I

DE FORO COMPETENTI

Can. 4 (CIC 1556)

Prima Sedes a nemine iudicatur.

De can. 4 una tantum suggestio facta est ut nempe norma ita explicetur: « Summus Pontifex a nemine iudicatur, sive per se ipsum agat, sive per alias personas vel institutiones, quarum actus suos faciat per expressam approbationem vel acceptationem ».

Consultoribus autem placet servare canonem prouti est; explicatio enim est inutilis quia clare habetur sive ex doctrina sive ex aliis partibus Codicis.

Can. 5 (CIC 1557)

§ 1. Ipsi Romani Pontificis dumtaxat ius est iudicandi:

- 1) *Eos qui supremum tenent civitatis magistratum horumque coniuges et liberos eosve quibus ius est proxime succedendi in munere;*
- 2) *Patres Cardinales et Patriarchs;*
- 3) *Legatos Sedis Apostolicae, et in criminalibus Episcopos, etiam titulares;*
- 4) *alias causas quas Ipse ad suum advocaverit iudicium.*

§ 2. Sacrae Romanae Rotae reservatur iudicare:

- 1) *Episcopos, etiam titulares, in contentiosis, salvo praescripto can. 18, § 2;*
- 2) *Abbatem primatem, vel Abbatem superiorem Congregationis monasticae, et Supremum Moderatorem religionis exemptae;*
- 3) *personas ecclesiasticas, sive physicas sive iuridicas, quae Superiorem infra Romanum Pontificem non habent.*

De § 1

— Est qui censeat reservationem Summo Pontifici factam iudicandi personas de quibus in n. 1 esse vestigium aliquod temporis mediavalis, quod supprimi potest. Tales casus praeterea rarissimi sunt.

Consultores autem censemt tales casus, etsi rarissimi, etiam nunc temporis haberi, qui tamen decet ut iudicentur a Romano Pontifice, quia Ipse gaudet sufficienti independentia, secus ac tribunal loci in quo illi casus forte eveniant.

— Suggestum est ut n. 1 ita redigatur: « Eos qui supremum tenent civitatis magistratum ».

Propositio haec omnibus placet.

— Quoad n. 3 suggestum est ut deleantur verba « etiam titulares », quia superflua. Sub verbo enim « Episcopos » veniunt sive residentialis sive titulares.

Propositio omnibus placet.

— Suggestum est ut in n. 4 addatur reservari Summo Pontifici iudicium circa actus vel instrumenta quos Ipse in forma specifica confirmaverit.

Consultores volunt rationem habere de hac suggestione quando erit discussio can. 121.

De § 2

— In n. 1 delentur verba « etiam titulares », sicut factum est in § 1, n. 3.

— In ipso n. 1 dici debet « *firmo praescripto* » loco « *salvo* ».

— Quoad Supremos Moderatores religionis exemptae, de quibus in n. 2, nonnulli petierunt ut reservatio restringatur ad Moderatores religionis *iuris pontificii*.

Propositio placet, ideo norma ita emendatur: « ... et Supremum Moderatorum Institutorum vitae consecratae iuris pontificii ».

— Attento can. 18, § 2, quis intelligere posset dioeceses non comprehendendi inter personas ecclesiasticas iuridicas de quibus in n. 3 praesentis can. 5. Ideo suggestum est ut norma emendetur ita ut dubia amoveantur.

Suggestio placet Consultoribus, qui hanc redactionem approbant: « 3. Dioeceseos aliasve personas ecclesiasticas, sive physicas sive iuridicas ... ».

Can. 6 (CIC 1558)

§ 1. *Violato praescripto can. 4 iudicium et decisiones pro infectis habentur.*

§ 2. *In causis de quibus in can. 5 aliorum iudicium incompetentia est absoluta.*

Consultoribus placet propositio alicuius Consultoris ut § 1 ita emendatur: « Violato praescripto can. 4 *acta et decisiones* ... ».

Can. 7 (CIC 1559)

§ 1. *Nemo in prima instantia conveniri potest, nisi coram iudice ecclesiastico qui competens sit ob unum ex titulis qui in cann. 8-15 determinantur.*

§ 2. *Incompetentia iudicis cui nullus ex his titulis suffragatur, dicitur relativa.*

§ 3. *Actor sequitur forum rei; quod si reus multiplex forum habet, optio fori actori conceditur.*

— In § 1 citari debent cann. 8-14, quia can. 15 non est ad rem.

— De sententia alicuius Conferentiae Episcopalis agnoscenda est competentia omnibus tribunalibus iudicandi causas quae ipsis submittantur, quin attendatur ad titulum competentiae.

Propositio nimis singularis videtur et periculosa pro recto ordine iustitiae administrandae.

— Suggestum est ut in § 3 dicatur « partis conventae » loco verbi « rei ». Propositio placet Consultoribus.

— Nonnulli petierunt ut agnoscatur forum partis actricis, attentis hodiernis conditionibus socialibus, quod attinet praesertim ad mobilitatem populorum.

Consultores, parva discussione habita de hac re, censemt quaestionem examinandam esse pro causis matrimonialibus (Pars III, sectio II huius Schematis), quia non videtur opportunum agnoscere forum partis actricis pro omnibus causarum speciebus in hac parte generali.

Can. 8 (CIC 1561)

Quilibet conveniri potest coram tribunali domicilii vel quasi-domicilii.

— Nonnulli petierunt ut transferatur ad hanc partem generalem norma latior de foro competenti quae habetur in sectione de matrimonio, scilicet ut quis conveniri possit coram tribunali loci in quo pars conventa commorationem non precariam habeat.

Exc.mus Secretarius monet Consultores ut suggestionem hanc considerent attenta nova notione quasi-domicilii, quae praebetur in Schemate « De Populo Dei », secundum quam sufficit commoratio « quae aut coniuncta sit cum animo ibi manendi *saltem per tres menses si nihil inde avocet, aut ad tres menses reapse sit protracta* ».

Haec nova notio quasi-domicilii Consultoribus latior videtur quam notio « commorationis non precariae » et praeterea magis determinata ipsis videtur ita ut auferantur discussiones quae factae sunt post promulgationem M. P. « Causas matrimoniales » circa verba « commoratio non precaria ». Quare Consultores unanimiter decernunt ut can. 8 maneat prout est et valeat etiam pro causis matrimonialibus; ideo in can. 337, § 1 schematis deleri debet n. 2, qui agit de « commoratione non precaria » tamquam titulus competentiae.

— Nonnulli proposuerunt ut quoad religiosos dicatur ipsorum domicilium esse domum cui a legitimis superioribus assignati sunt. Propositio placet Consultoribus qui can. 8 ita completere volunt:

« *Quilibet conveniri potest coram tribunali domicilii vel quasi-domicilii; religiosus autem in loco domus sua* ».

* * *

Nonnulli (paucissimi tamen) suggesserunt ut resumatur norma can. 1562 CIC de foro peregrinorum in Urbe.

Propositio non placet Consultoribus, quia illo titulo non pauci abuti sunt ultimis temporibus et facile timeri potest abusus frequentiores fieri posse in posterum, attentis modernis adiunctis quoad itinera et mobilitatem populorum quae faciliora in dies evadunt.

* * *

Can. 9 (CIC 1563)

§ 1. Vagus et ille cuius domicilium et quasi-domicilium ignota sunt, forum habent in loco ubi actu commorantur; religiosus in loco domus suae.

§ 2. Is, cuius neque domicilium aut quasi-domicilium neque locus commorationis nota sint, conveniri potest coram tribunali loci in quo actor habet domicilium aut quasi-domicilium, vel, si hic sit vagus, commorationem.

— Duo Consultores vellent ut pro vagis valeat forum actoris, attenta peculiari eorum conditione. At Relator, cui etiam alii Consultores assentiunt, opportunum censem ut etiam pro vagis forum determinatum sit a iure et non concedatur ad libitum actoris.

— Nonnulli Consultores proponunt ut in § 1 deleantur verba « et ille cuius domicilium et quasi-domicilium ignota sunt », quia qui in tali conditione versantur tamquam vagi considerari debent; ideo, attenta etiam nova redactione can. 8, ita formulam can. 9, § 1 proponunt: « Vagus forum habet in loco ubi actu commoratur » (placet 7, non placet 1).

— De § 2 Consultores unanimiter ita simpliciorem formulam redigunt: « Is, cuius neque domicilium aut quasi-domicilium neque locus commorationis nota sint, conveniri potest in foro actoris ».

Adunatio diei 6 aprilis 1978

— Unus Consultor proponit ut canones 10-13 schematis (qui statuant forum competens ratione rei sitae, ratione contractus, ratione patrati delicti, etc.) deleantur penitus, et admittatur potius titulus com-

petentiae oriens ex probationibus quae in determinato loco colligendae sint, ideoque pars conveniri debet coram tribunalii loci in quo de facto validiores probationes inveniuntur. Hoc forum probationum sane in nostro schemate admissus est pro causis matrimonialibus (cf. can. 337, § 1, n. 3), sed convenit ut admittatur pro omnibus causarum speciebus. Ceterum varii tituli competentiae, qui numerantur in cann. 10-13, non sunt nisi specificationes quaedam fori probationum.

Quattuor Consultores volunt retinere cann. 10-13, quia tituli competentiae ibi recensiti proveniunt ex factis obiectivis determinatis, quae iudicem suum naturalem habent. Talis iudex naturalis statuitur a lege, ratione habita elementorum quae obiectiva et certa sunt, dum e contra forum probationum confusiones gignere potest, quia probationes quandoque in lucem veniunt processu perdurante. Praeterea in casu fori probationum pars converta recusare posset competentiam iudicis, dicendo *potiores* probationes alibi inveniri.

Alter Consultor item improbat propositionem admittendi hic probationum forum, quia ratio prolata a primo Consultore non est unde quaque vera; cum enim in criminalibus recognoscatur competentia tribunalii loci in quo delictum patratum sit, id evenit non ratione probationum quae ibi inveniantur *potiores*, sed ratione iurisdictionis quam tribunal illo in loco habet.

Tertius Consultor favet propositioni suppressi cann. 10-13, at tamen vitare vellet pericula confusionis quae ab aliis Consultoribus dicta sunt.

Post longam discussionem, in qua varia argumenta pro et contra illustrata sunt, fit suffragatio an placeat hic admittere forum probationum: placet 1, non placet 5.

Deinde fit suffragatio an placeat retinere varios titulos in cann. 10-13 recensitos: placet 3, non placet 3.

Cum exitus suffragationis par sit, praevalet textus schematis prout est et ideo examinantur animadversiones quae ab organis consultationis de ipsis canonibus factae sunt.

Can. 10 (CIC 1564)

Ratione rei sitae pars conveniri potest coram tribunalii loci, ubi res litigiosa sita est, quoties actio in rem directa sit, aut de spolio agatur.

— Suggestum est ut dicatur « ubi res litigiosa invenitur », loco « sita est ». Propositio non placet Consultoribus.

Can. 11 (CIC 1565)

§ 1. *Ratione contractus pars conveniri potest coram tribunali loci in quo contractus initus est, vel adimpleri debet, nisi pars e loco discesserit, salvo praescripto § 2.*

§ 2. *In actu autem contractus permittitur contrahentibus obligationis declarandae, urgenda vel implenda gratia, locum eligere, in quo etiam absentes citari et conveniri possint.*

§ 3. *Si causa versetur circa obligationes quae ex alio titulo proveniant pars conveniri potest coram tribunali loci, in quo obligatio vel orta est vel est adimplenda.*

— Suggestum est ut §§ 1 et 2 uniantur, ita ut in una § recenseantur tres possibilitates quae habentur, scilicet locus contractus, locus in quo contractus adimpleri debet, locus a partibus electus. Haec propositio omnibus placet.

— Aliqui suggesserunt ut non solum in actu contractus, sed etiam in actu subsequenti contrahentes locum eligere possint in quo causam tribunalii proponant. Haec propositio omnibus placet.

His animadversionibus factis, Consultores sequentem redactionem canonis approbant:

« § 1. *Ratione contractus pars conveniri potest coram tribunali loci in quo contractus initus est vel adimpleri debet, nisi partes concorditer aliud tribunal elegerint.*

§ 2. = § 3 schematis ».

Can. 12 (CIC 1566)

In criminalibus reus, licet absens, conveniri potest coram tribunali loci in quo delictum patratum sit.

— Suggestum est ut dicatur « *conveniri debet* » loco « *potest* », ita ut iudicium de delicto habeatur semper in loco ubi delictum patratum est.

Propositio non placet Consultoribus, qui volunt forum concurrens salvare, quia sive in loco ubi delictum patratum sit sive in loco domicilii vel quasi-domicilii tenet semper ratio puniendi delinquentem.

— Iuxta placita antea expressa, redactio canonis erit: « *In criminalibus, accusatus, licet absens ...* ».

Can. 13 (CIC 1560)

Pars conveniri potest:

- 1) *in causis respicientibus beneficium coram tribunali loci beneficii;*
- 2) *in causis quae circa administrationem versantur, coram tribunali loci ubi administratio gesta est;*
- 3) *in causis quae respiciunt hereditates vel legata pia, coram tribunali ultimi domicilii illius de cuius hereditate vel legato pio agitur, nisi agatur de mera execuzione legati, quae videnda est secundum ordinarias competentiae normas.*

— Consultores, attentis normis alterius partis Codicis, ubi systhema beneficiale suppressum est, concordant ut deleatur n. 1 praesentis canonis.

— Suggestum est ut in casu de quo in n. 2 pars conveniri *debeat* (loco *potest*) coram tribunali loci ubi administratio gesta est.

Consultores autem praeferunt verbum « *potest* » ut maneat aliud forum concurrens.

— Suggestum est ut in casibus de quibus in n. 3 aliae quoque optiones dentur circa tribunalia coram quibus pars conveniri possit, quia saepe saepius hereditates ac legata pia in variis dissitisque regionibus sita sunt.

Unus Consultor favet huic propositioni, sed alii Consultores censem aptam solutionem huius quaestionis esset tantum forum *actoris*. Cum autem in nostro systhema forum actoris non admissum sit, manet norma canonis prout est, parvis tantum determinationibus inductis circa domicilium vel quasi-domicilium vel commorationem illius de cuius hereditate vel legato pio agitur, iuxta sequentem formulam:

« *In causis quae ... ultimi domicilii vel quasi-domicilii vel commorationis ad normam cann. 8-9 eius de cuius hereditate ...* ».

Can. 14 (CIC 1567)

Ratione conexionis seu continentiae ab uno eodemque iudice cognoscenda sunt causae inter se conexae, nisi obstet incompetentia iudicis absoluta aut praescriptum can. 24, § 1.

— Suggestum est ut dicatur « *ab uno eodemque tribunali* » loco « *iudice* », ratione uniformitatis terminologicae (placet omnibus).

— De sententia alicuius Universitatis studiorum non sufficit ut ta-

les causae inter se conexae ab uno eodemque tribunal cognoscantur, sed oportet ut, quantum fieri possit, *eodem processu* cognoscantur.

Aliquis Consultor, hanc propositionem accipiens, ulterius progre-
dire proponit ut nempe *semper* (non « quantum fieri possit ») tales
causae eodem processu cognoscantur. Haec propositio omnibus placet.

— Consultor quidam proponit ut deleantur verba « seu continen-
tiae » (placet omnibus).

— Nonnulli censuerunt indolem clausulae finalis (nisi obstet ...) talem esse ut dubia exsurgent num uniri possint causae conexae diversi tamen gradus iurisdictionis; quare melius esset resumere clausulam generaliorem can. 1567 CIC « nisi legis praescriptum obstet ». Propo-
sitio haec omnibus placet.

Can. 15 (CIC 1568)

*Ratione praeventio*n*is, cum duo vel plures iudices aequa competen-
tes sunt, ei ius est causam cognoscendi qui prius citatione reum legi-
time convenit.*

— Iuxta placita antea expressa de uniformitate terminologica, redactio canonis erit:

« Ratione praeventio*n*is, cum duo vel plura tribunalia aequa com-
petentia sunt, ei ius est causam cognoscendi quod prius citatione par-
tem conventam legitime citaverit ».

* * *

Suggestum est ut ponatur hic can. 47 schematis, quia eius materia non est « de disciplina in tribunalibus servanda », sed potius « de foro competentiae » (placet omnibus).

Adunatio diei 7 aprilis 1978

TITULUS II

DE VARIIS TRIBUNALIUM GRADIBUS ET SPECIEBUS

Can. 16 (CIC 1569)

§ 1. *Ob primatum Romani Pontificis integrum est cuilibet fidei in toto orbe catholico causam suam sive contentiosam sive criminalem, in quovis iudicii gradu et in quovis litis statu cognoscendam ad Sanctam Sedem deferre vel apud eandem introducere.*

§ 2. Provocatio tamen ad Sedem Apostolicam interposita non suspendit, excluso casu appellationis, exercitium iurisdictionis in iudice qui causam iam cognoscere coepit; quique idcirco poterit iudicium prosequi usque ad definitivam sententiam, nisi constiterit Sedem Apostolicam causam ad se advocasse.

— Consultor quidam proponit ut haec materia ponatur sub capite proprio quod sit « De Romano Pontifice iudice supremo », ubi etiam coadunentur alia quae propria sint Romani Pontificis, ex. gr. cann. 5 et 6.

Propositio in genere placet Consultoribus, salva forsan opportunitate ponendi tale caput novum sub Tit. I, potius quam sub Tit. II. Attamen de quaestionibus systematicis tractabitur in fine laboris recognitionis.

De can. 16 § 1

— Nonnulli proposuerunt ut concedatur christifidelibus facultas deferendi suas causas ad Sanctam Sedem generatim in casu appellationis tantum et quidem in devolutivo, non autem in suspensivo, ita ut iudices ordinarii interim procedere possint, nisi ipsa S. Sedes expresse causam sibi avocet. Saepe enim tales recursus ad S. Sedem non habent nisi finem dilatorium.

Propositio non placet Consultoribus, quia hic modus procedendi potestatem Summi Pontificis graviter laederet.

De can 16 § 2

— Quidam suggesserunt verbum « recursus » loco « provocatio » (cf. can. 1569 CIC), sed Consultoribus magis placet vox « provocatio », quia est generalior et sensu minus technico adhibetur.

— Suggestum est ut constet ex documento authentico Sedem Apostolicam causam ad se advocasse. Propositio placet Consultoribus et ideo clausula finalis ita emendatur: « ... nisi Sedes Apostolica iudici significaverit se causam advocasse ».

Can. 17 (CIC 1570)

Quodlibet tribunal ius habet in auxilium vocandi aliud tribunal ad causam instruendam vel ad actus intimandos.

— Quidam suggesserunt ut aliquid addatur de obligatione tribunalis rogati praestandi auxilium.

Propositio non placet Consultoribus, quia talis obligatio clare eruitur ex indole canonis.

CAPUT I
DE TRIBUNALI ORDINARIO PRIMAE INSTANTIAE

Art. 1

DE IUDICE

Can. 18 (CIC 1572)

§ 1. *In unaquaque dioecesi et pro omnibus causis a iure expresse non exceptis, iudex primae instantiae est Episcopus dioecesanus, qui iudicariam potestatem exercere potest ipse per se, vel per alios, secundum tamen canones qui sequuntur.*

§ 2. *Si vero agatur de iuribus aut bonis temporalibus personae iuridicae ab Episcopo repraesentatae, iudicat in primo gradu tribunal appellationis.*

— In § 1 supprimi debet verbum « tamen », quod habetur in clausula finali.

* * *

Nonnulli suggesserunt ut repristinetur norma can. 1578 CIC qua consulitur Episcopis ut causas, praesertim criminales et contentiosas gravis momenti, iudicandas relinquant tribunali ordinario, cui praesit officialis vel vice-officialis.

Consultores censem hanc normam esse superfluam quia Episcopi generatim ita agunt.

* * *

Can. 19 (CIC 1573)

§ 1. *Quilibet Episcopus tenetur Vicarium Iudicialem eligere cum potestate ordinaria iudicandi, a Vicario Generali distinctum, nisi parvitas dioecesis aut paucitas negotiorum suadeat hoc officium ipsi Vicario Generali committi.*

§ 2. *Vicarius Iudicialis unum constituit tribunal cum Episcopo loci: sed nequit iudicare causas quas Episcopus sibi reservat.*

§ 3. *Vicario Iudiciali dari possunt adiutores, quibus nomen est Vicariorum Iudicialeum Adjuncorum.*

§ 4. *Tum Vicarius Iudicialis tum Vicarii Iudiciales Adjuncti esse debent sacerdotes, integrae famae, in iure canonico doctores vel ceteroquin periti, annos nati non minus triginta.*

§ 5. *Qui Vicarius Generalis est idemque Vicarius Iudicialis, sede vacante, cessat quidem a Vicarii Generalis non autem a Vicarii Iudicialis munere.*

§ 6. *Si Vicarius Iudicialis eligatur in Administratorem Dioecesatum, ipse novum nominat Vicarium Iudiciale.*

— De nomine « Vicarius iudicialis », quod proponitur in schemate, loco « Officialis », plures animadversiones factae sunt, nonnullis petentibus ut repristinetur vox « Officialis », aliis autem ut vocetur « Praeses tribunalis », et ita porro.

Consultores, post brevem disceptationem, hanc redactionem approbant:

« § 1. Quilibet Episcopus debet Vicarium Iudiciale seu Officialem constituere cum potestate ordinaria iudicandi ... nisi parvitas dioecesis aut paucitas negotiorum *aliud suadeat* ».

— Aliqua Episcoporum Conferentia inopportunum censuit ut Episcopus quasdam causas sibi reservet (cf. § 2). At Consultores respondent Episcopum esse iudicem natum, cui non licet interdici ius iudicandi per se, si ipse ita agere censeat.

— In § 2 deleri debet verbum « loci » quia superfluum est.

— In § 3 addi debet in fine « seu vice-officialium ».

— De peritia in iure canonico requisita (cf. § 4), plures animadversiones factae sunt, quae generatim eo tendunt ut extollatur necessitas peritiae in iure per gradus academicos assecutae.

Post brevem disceptationem Consultores ita § 4 mutant: « ... in iure canonico doctores *vel saltem* licentiati, annos ... ».

— Suggestum est ut in § 5 detur in recto norma de Vicario Generali.

Propositio placet Consultoribus, qui § 5 ita redigunt: « Ipsi, sede vacante, a munere non cessant nec ab Administratore dioecesano amoveri possunt; adveniente autem novo Episcopo, indigent confirmatione ».

— Consultor quidam proponit ut § 6 deleatur, quia munus Administratori saepe saepius ad breve tempus protrahitur et non opportunum videtur imponere illi renuntiationem prioris officii. Propositio placet aliis Consultoribus.

Can. 20 (CIC 1574)

§ 1. *In dioecesi constituantur ab Episcopo iudices dioecesani qui sint clerci. Necessitate suadente potest Conferentia Episcopalis permettere ut collegium iudicans constet ex uno viro laico et ceteris clericis.*

§ 2. Iudices sint integrae famae et in iure canonico periti.

— Dubia quidam moverunt de opportunitate admittendi diaconos ad officium iudicis. Alii vero (paucissimi tamen) dubitaverunt non solum de opportunitate sed et de possibilitate conferendi etiam laicis iurisdictionem ac proinde de possibilitate promovendi laicos ad officium iudicis.

Consultores vero tenent laicos partem habere posse in exercitio protestatis iudicialis, quia haec potestas non innititur in ordine sacro et suam sententiam probant argumentis sive ex historia sive ex doctrina probatorum theologorum desumptis. Quoad opportunitatem autem, non est locum dubitandi, quia quae habentur in canone iam vigent in Ecclesia, ope M. P. « Causas matrimoniales » a Summo Pontifice promulgato.

Quibus de causis duo Consultores volunt mutare canonem ita ut dicatur Episcopos posse etiam viros laicos non tantum ad actum sed permanenter iudices constituere, ex quibus unus assumatur ad efformandum collegium, firma tamen lege quod iudex unicus debet semper esse clericus. Post brevem disceptationem etiam alii Consultores huic propositioni accedunt.

— Suggestum est ut etiam mulieres ad officium iudicis admitti possint. Sed Consultores censem hac in materia standum esse M. P. « Causas matrimoniales », ubi mens Supremi Legislatoris clare expressa est.

— Quoad peritiam in iure canonico, Consultores concordant ut pro iudicibus eadem requiratur quae in canone praecedenti requisita est pro Vicario judiciali.

— Suggestum est ut non requiratur licentia Episcoporum Conferentiae ut Episcopus laicos ad officium iudicis admittere possit. Consultores autem censem opportunam esse licentiam Conferentiae, ita ut, quantum fieri possit, uniformitas habeatur in eadem regione.

His omnibus disceptatis, Consultores hanc novam redactionem canonis approbant:

« § 1. In dioecesi constituantur ab Episcopo iudices dioecesani qui sint clerici.

§ 2. Episcoporum Conferentia permittere potest ut etiam viri laici iudices constituantur, ex quibus, suadente necessitate, unus assumi possit ad collegium efformandum.

§ 3. Iudices sint integrae famae et in iure canonico doctores vel saltem licentiati ».

Can. 21 (novus)

Removeri nequeunt Vicarius Iudicialis, Vicarius Iudicialis Adiunctus et iudices quibus nisi ex legitima gravique causa.

— Suggestum est ut iudices nominentur ad definitum tempus. Consultores, post brevem discussionem, hanc suggestionem approbant et ita canonem redigunt:

« Vicarius Iudicialis, Vicarius Iudicialis Adiunctus et alii iudices nominentur ad definitum tempus, firmo praescripto can. 19, § 5, nec removeri possunt nisi ex legitima gravique causa ».

Adunatio diei 8 aprilis 1978

Can. 22 (novus)

§ 1. *Plures dioecesani Episcopi, probante Sede Apostolica, possunt concordes, in locum tribunalium dioecesanorum de quibus in can. 18-20, unicum constituere pro suis dioecesis tribunal primae instantiae; in quo casu ipse Episcoporum coetus vel Episcopus ab eo delegatus omnes habet potestates, quas Episcopus dioecesanus circa suum tribunal.*

§ 2. *Tribunalia de quibus in § 1 constitui possunt vel ad causas quaslibet vel ad aliqua tantum causarum genera.*

§ 3. *Etiam in casibus, de quibus in §§ 1 et 2, potest tamen unusquisque Episcopus in sua dioecesi tribunal constituere, cuius sit iudicare in primo gradu de causis quae processu contentioso summario tractantur, nisi actor malit petitionem coram tribunali ad normam §§ 1 et 2 competenti proponere.*

— Suggestum est ut etiam Conferentiae Episcoporum tribuatur facultas constituendi tribunalia regionalia in propria regione.

Unus Consultor hanc propositionem accipit, sed alii Consultores sunt contrarii, quia Episcoporum Conferentia ut talis non potest conferre iurisdictionem, quae est propria uniuscuiusque Episcopi.

— Nonnulli proposuerunt suppressionem verbi « concordes ».

Propositio non placet Consultoribus, quia Episcopus qui non sit concors non potest privari sua iurisdictione.

— Crism aliqui fecerunt de verbis « in quo casu ipse Episcoporum coetus ... omnes habet potestates ... », eo quod etiamsi omnes sint

concordes et ipsa S. Sedes approbet, non ideo ex hoc facto aliquis coetus constituitur (nec constitui potest), qui ut talis subiectum sit alicuius potestatis iurisdictionis.

Consultores hanc animadversionem approbat et ita formulam mutant: « ... quo in casu ipsi Episcopi concordes vel Episcopus ab eisdem designatus omnes habent potestates, quas ... ».

— Suggestum est ut § 3 deleatur, quia superflua et quia nequit coarctari ius Episcopi constituendi in sua dioecesi tribunal ad causam, in qua competens sit, solvendam (placet omnibus).

Can. 23 (CIC 1575)

Unicus iudex in quolibet iudicio duos assessorum, clericos vel viros laicos probatae vitae, sibi consulentes adsciscere potest.

— Plures proposuerunt suppressionem verbi « viros » (omnibus placet).

Can. 24 (CIC 1576)

§ 1. Reprobata contraria consuetudine tribunali collegiali trium iudicium reservantur:

1) *causae contentiosae: a) de vinculo sacrae ordinationis et oneribus eidem adnexis; b) de vinculo matrimonii, firmo praescripto cann. 351 et 353;*

2) *causae criminales: a) de delictis quae poenam dimissionis a statu clericali secum ferre possunt; b) de irroganda vel declaranda excommunicatione.*

§ 2. Episcopus causas difficiliores vel maioris momenti committere potest iudicio trium vel quinque iudicium.

§ 3. Tribunalis iudices, qui una cum praeside in singulis iudiciis collegium constituunt, Vicarius Iudicialis vocet ex ordine per turnum, nisi Episcopus aliter in singulis casibus statuerit.

§ 4. In primo iudicii gradu, si forte collegium constitui nequeat, in singulis casibus Conferentia Episcopalis permittere potest ut causa iudici unico clero committatur, qui, ubi fieri possit, assessorem et auditorem sibi asciscat.

§ 5. Iudices semel designatos ne subroget Vicarius Iudicialis, nisi ex gravissima causa, in decreto sub poena nullitatis exprimenda.

De § 1

Nonnulli votum fecerunt ut ordinarie non requiratur tribunal collegiale nisi causae difficiliores sint. Alii ut admittatur iudex unicus saltem pro I^a instantia.

Consultores volunt normam § 1 integrum servare, salva mitigatione quae habetur in § 4.

De § 3

— Suggestum est ut supprimatur haec norma in qua prae oculis habentur magna tribunalia, quae pauca sunt in Ecclesia.

Unus Consultor approbat hanc animadversionem sed plures Consultores retinere volunt normam ad vitandos abusus.

Fit suffragatio an placeat retinere normam: placet 4, non placet 1, placet iuxta modum 1.

Modus: deleantur verba « in singulis casibus ».

— Quoniam nonnullis contorta visa fuit redactio § 3, Consultores ita formulam mutant:

« Vicarius Iudicialis ad singulas causas cognoscendas iudices ex ordine per turnum advocet, nisi Episcopus in singulis casibus aliter statuerit ».

De § 4

— Consultor quidam proponit ut iudex unicus concedatur tantum pro causis matrimonialibus, sed alii Consultores non concordant.

— Suggestum fuit a pluribus ut deleantur verba « in singulis casibus », secus norma difficulter in praxim deduci potest.

Post brevem disceptationem, Consultores normam ita mutant: « ... Conferentia Episcopalis permittere potest ut *Episcopus causam iudici unico, clericu* committat, qui ... ».

De § 5

— Plures suggesserunt ut deleantur verba « sub poena nullitatis » (omnibus placet).

Can. 25 (CIC 1577)

§ 1. *Tribunal collegiale collegialiter procedere debet, et ad maiorem suffragiorum partem sententias ferre.*

§ 2. *Eidem praeesse debet, quatenus fieri potest, Vicarius Iudicialis vel Vicarius Iudicialis Adjunctus.*

— Aliquis Consultor proponit ut norma mitior fiat addendo « ... saltem in decisionibus edendis agat collegialiter ».

Fit suffragatio de hac propositione: placet 1, non placet 5, 1 se abstinet.

— Aliqui addere vellent in § 2 descriptionem munericis praesidis ut nempe processum dirigat et decernat quae pro iustitiae administratione in causa quae agitur necessaria sunt, nisi decisiones iure expresse collegio reserventur.

Consultoribus autem superflua videtur haec additio.

Can. 26 (CIC 1579)

§ 1. *Si controversia sit inter religiosos vel domos eiusdem religionis clericalis iuris pontificii, iudex primae instantiae, nisi aliud in constitutionibus caveatur, est Superior provincialis, aut, si monasterium sit sui iuris, Abbas localis.*

§ 2. *Salvo diverso constitutionum praescripto, si res contentiosa agatur inter duas provincias, in prima instantia iudicabit ipse per se vel per delegatum supremus religionis Moderator; si inter duo monasteria, supremus Moderator Congregationis monasticae.*

§ 3. *Si demum controversia enascatur inter religiosas personas physicas vel iuridicas diversae religionis, aut etiam eiusdem religionis clericalis iuris dioecesani vel laicalis, aut inter personam religiosam et clericum saecularem vel laicum vel personam moralem saecularem, iudicat in prima instantia tribunal dioecesanum.*

— Nonnulli suggesserunt ut supprimatur iurisdictio specialis pro religiosis, ita ut etiam causae religiosorum videantur in tribunalibus dioecesanis.

Consultores unanimiter censem hunc canonem deleri non posse, quia causae quae sunt propriae religiosorum difficiliore modo solvi possent in tribunalibus dioecesanis, nisi admittere quis velit pro religiosis via tantum administrativa, quod non videtur opportunum.

— In § 3 dici debet « personam iuridicam » loco « moralem » ratione uniformitatis terminorum.

Art. 2
DE AUDITORIBUS ET RELATORIBUS

Can. 27 (CIC 1580, 1581, 1582)

§ 1. *Iudex vel tribunalis collegialis praeses potest auditorem designare ad causae instructionem peragendam, eum seligens aut ex tribunali iudicibus aut ex personis ab Episcopo ad hoc munus approbatis.*

§ 2. *Episcopus potest ad auditoris munus approbare clericos vel viros laicos, qui bonis moribus, prudentia et doctrina fulgeant.*

§ 3. *Auditoris est tantum probationes secundum iudicis mandatum colligere easque collectas iudici tradere. Potest autem, nisi iudicis mandatum obstet, interim decidere quae et quomodo probationes colligendae sint si forte de hac re quaestio oriatur dum ipse munus suum exerceat.*

— Est qui vellet figuram auditoris supprimere, ita ut processus opportunius instruatur a iudice qui proferre debet sententiam; aliquis id petiit pro processu contentioso summario. Consultores autem non ita sentiunt.

— Plures petierunt ut in § 2 deleatur verbum « viros ». Aliqui Consultores vero, cum munus auditoris quandoque usum potestatis iurisdictionis importet, servare volunt verbum « viros », prout factum est pro munere iudicis.

Fit suffragatio an placeat delere verbum « viros »: placet 4, non placet 3.

— Suggestum est ut in § 3 addatur: « ... tradere, additis aestimationibus de quibus in can. 219. Potest autem ... ». Propositio non placet, quia illae aestimationes sunt propriae iudicis.

— Aliquis suggestit ut vetetur expresse auditori audire partes. Consultores respondent id pendere a mandato iudicis.

— Consultores hanc mutationem formulae § 3 approbant: « Auditoris est, secundum iudicis mandatum, probationes tantum colligere easque ... ».

— Suggestum est ut resumatur can. 1583 CIC de remotione auditoris. Consultores non necessariam illam normam aestimant, cum figura auditoris in novo schemate minores facultates habeat quam in CIC.

Can. 28 (CIC 1584)

Tribunalis collegialis praeses debet unum de iudicibus collegii ponentem seu relatorem designare qui in coetu iudicum de causa referat et, nisi gravis causa aliud suadeat, sententias in scriptis redigat; et ipsi idem Praeses alium ex iusta causa substituere potest.

Suggestum est ut deleatur clausula « nisi gravis causa aliud suadeat » (placet omnibus).

Art. 3

DE PROMOTORE IUSTITIAE ET VINCULI DEFENSORE

Can. 29 (CIC 1586)

Constituatur in dioecesi promotor iustitiae ad causas tum contentiosas, in quibus bonum publicum in discrimen vocari potest, tum criminales.

— Suggestum est ut canon ita redigatur:

« Ad causas tum contentiosas, in quibus bonum publicum in discrimen vocari potest, tum criminales constituatur in dioecesi promotor iustitiae, qui officio tenetur providendi bono publico ».

Fit suffragatio an placeat haec formula: placet 6, non placet 1.

Can. 30 (novus)

§ 1. *In causis contentiosis Ordinarii est iudicare utrum bonum publicum in discrimen vocari possit necne, nisi interventus promotoris iustitiae ex natura rei evidenter necessarius dicendus sit, ut cum agatur de Ecclesiae libertate vel de minorum personarumque iuridicarum iuribus.*

§ 2. *Si in praecedentibus instantiis intervenerit promotor iustitiae, huius interventus praesumitur necessarius.*

— Consultores formulam canonis ita redigunt:

« § 1. In causis contentiosis Episcopi dioecesani est iudicare utrum bonum publicum in discrimen vocari possit necne, nisi interventus promotoris iustitiae a lege praecipiatur vel ex natura rei evidenter necessarius sit.

§ 2. Si in praecedenti instantia intervenerit promotor iustitiae, in ulteriore gradu huius interventus praesumitur necessarius ».

Can. 31 (CIC 1586)

Ad causas in quibus agitur de nullitate sacrae ordinationis aut de nullitate vel dissolutione matrimonii constituatur in dioecesi defensor vinculi, qui officio tenetur proponendi et exponendi omne quod rationabiliter adduci possit adversus nullitatem vel dissolutionem.

— Suggestum est ut dicatur « solutio » loco « dissolutio » (placet omnibus).

— Secundum aliquos improprie sermo fit in canone de « defensore vinculi » quoad sacram ordinationem. Consultores censem locutionem non esse impropriam, quia ex sacra Ordinatione exurgit vinculum aliquid. Ceterum locutio haec adest in traditione canonica inde a Benedicto XIV.

— Nonnulli suggesserunt ut defensor vinculi votum faciat *pro rei veritate*. Consultoribus autem non placet discedere a textu canonis.

Can. 32 (CIC 1587)

§ 1. In causis in quibus promotoris iustitiae aut defensoris vinculi praesentia requiritur, iis non citatis, acta irrita sunt, nisi ipsi, etsi non citati, revera interfuerint.

§ 2. Si legitime citati aliquibus actibus non interfuerint, acta quidem valent, verum postea eorum examini subiicienda sunt ut ea omnia sive voce sive scriptis possint animadvertere et proponere quae necessaria aut opportuna iudicaverint.

— Nonnulli proposuerunt ut in fine § 1 haec addantur: « ... aut saltem ante sententiam actis inspectis munere suo fungi potuerint ».

Propositio placet Consultoribus, qui, hac additione facta, delere volunt § 2, utpote superfluam.

Can. 33 (novus)

§ 1. Nisi aliud expresse caveatur:

1) *quoties lex praecipit ut iudex partes earumve alteram audiat, etiam promotor iustitiae et vinculi defensor, si iudicio intersint, audiendi sunt;*

2) *quoties instantia partis requiritur ut iudex quid decernere possit, instantia promotoris iustitiae vel vinculi defensoris, qui iudicio intersint, eandem vim habet.*

§ 2. Numquam autem ad promotorem iustitiae applicari poterunt normae de actoris absentia, de partium interrogationibus ac declarationibus; neque promotori iustitiae iusurandum ullum deferri potest.

— Suggestum est ut deleatur § 2, quia inutilis videtur (placet omnibus).

Can. 34 (CIC 1588)

§ 1. Eadem persona, non autem in eadem causa, officium promotoris iustitiae et defensoris vinculi gerere potest, nisi obstet multiplicitas negotiorum et causarum.

§ 2. Promotor et defensor constitui possunt tum ad universitatem causarum tum ad singulas causas; possunt autem ab Episcopo, iusta de causa, removeri, servato iure particulari.

— Quidam proposuerunt suppressionem clausulae « nisi obstet ... », quia superflua videtur (placet omnibus).

— Alii proposuerunt suppressionem verborum « servato iure particulari » quae habentur in § 2 (placet omnibus).

Can. 35 (CIC 1589)

§ 1. Episcopi est promotorem iustitiae et vinculi defensorem nominare, qui sint clerici integrae famae, in iure canonico doctores vel ceteroquin periti, ac prudentia et iustitiae zelo probati. Viri laici autem deputari possunt ad singulas causas si necessitas id suadeat.

§ 2. In tribunali religiosorum promotor iustitiae sit praeterea eiusdem religionis professus.

— Plures proposuerunt ut etiam laici ad munus promotoris iustitiae et defensoris vinculi admittantur, ideoque ut dicatur in canone « ... qui sint clerici vel laici integrae famae ... », suppressis vero ultimis verbis « viri laici autem ... » (placet omnibus).

— Quoad peritiam in iure canonico requisitam, Consultoribus, iuxta suggestionem quorundam organorum consultationis, placet ut candidati ad illa munera sint in iure canonico doctores vel licentiati.

— Suggestum est ut deleatur § 2 (placet omnibus).

— Quoad ordinem autem canonum, suggestum est ut can. 35 fiat can. 33 bis (placet omnibus).

